1592
n3.

INSIGNIA
DOMVS SAXONICAE

CVM

AQVILA NIGRA IMPERII ROMANI
ET ALBA POLONICA

VETVSTIS TEMPLI ANNAEMONTANI MONVMENTIS

REPRAESENTATA

OMNIBVS ATQVE SINGVLIS PER VNIVERSAM DIOECESIN RITE CONSTITVTIS VERBI DIVINI MINISTRIS IN IMAGINE EXHIBET,

LAETVMQVE

DE RECENS NATO

EX

MARIA IOSEPHA AVSTRIACA
SAXONVM DVCE

NVNTIVM AFFERT

ANDREAS KVNADVS,

SS. THEOL. DOCTOR, ET ECCLESIAE CHRISTI
IN MONTIBVS S. ANNAE PASTOR
AC SVPERINTENDENS.

ANNAEBERGAE,
LITTERIS IOH. VICT. RICHTERI, 1722.

23.

Digitized by Google

I. N. I.

QVod bonum, felix, fauſtum fortunatumque ſit, communi *Saxonum, Polonorum* ac Gentis *Auſtriacae* gaudio natus eſt Sereniſſimo Principi ac Domino noſtro, Domino **FRIDRICO AVGVSTO**, Duci Saxoniae et Electoratus Heredi, *tertius mas infans*, quem, DEO dante, Nonis Septembris illi peperit Celſiſſima Coniux, *Maria Ioſepha Auſtriaca*, Diui *Ioſephi*, Romanorum Imperatoris natu maior Filia.

Cuius rei dum auctoritate Sanctioris Senatus certiores vos reddo, formulamque ad gratias DEO perſoluendas typis expreſſam vobiscum communico, non tempero mihi, quin oculis veſtris *tres* ſubiiciam *figuras* inter antiqua monumenta primarii vrbis noſtrae templi repertas. Praeterquam enim quod *Ruta Saxonica et Aquila Polo-*

Digitized by Google

Polonica in *ara marmorea*, in *ſuggeſtu* et *ſacello*, quod Miniſtri Eccleſiae, quum ad muneris ſui functiones accinguntur, occupant, per duo et quod excurrit ſaecula fulgent, ex *figuris*, quas exhibeo, *prima* et *ſecunda* in aditu templi antiquo opere elaboratae, et a ſtatuario in dextro et ſiniſtro oſtii latere ad formam ſcuti ſaxo inciſae proſtant.

Ex cœnobio Franciſcanorum, cuius rudera, poſtquam flammis abſumtum eſt, in extrema vrbis parte adhuc viſuntur, ſpecioſam hanc portam, ad poſteros vt perduraret, templo illatam eſſe, annales memorant.

Fig. I. Ad dextram comparent *inſignia Ducum Saxoniae*, Sertum rutaceum cum trabibus, duo Leones, Thuringicus et Miſnicus, Columnae Marchionatus Landsbergenſis, et Aquila aurea Palatinatus Saxonici, quibus circumſepta fovetur quaſi et clauditur *Aquila nigra biceps Imperii Romani* vnguibus ſuis *duos* in peculiari ſcuto *aureos Leopardos*
Fig. II. gerens. Ad laevam extat *Aquila alba Polonica*.

Quisquis haec aduertit, vbi non heri aut nudius tertius, ſed *a primordiis ciuitatis* ita facta eſſe percipit, quid Aquila Imperii? quid duo Leopardi in ſcuto Saxonico? quid Aquila Polonica iuxta illud ſibi velint? quaerit.

Quum vero mox in ſacello inter veſtes ſacerdo-

cerdotales pretioſam laenam, ſiue *Caſulam* auro textam producimus, exſtupeſcit hoſpes ad *figuram tertiam* acu eleganter pictam, quae tergo Caſulae affixa eſt, ac *Domus Saxonicae inſignia cum Aquila Imperiali duobusque Leopardis* denuo et longe plenius refert, *aureique velleris* decoramentis ornat. Fig.III.

Haec enim quomodo a tot retro ſaeculis cohaereant, et in templo noſtro in amiciſſimum fœdus conſpirent, non vsquequaque intelligunt omnes.

Sunt, qui digitum DEI Regum Principumque fata praeſignantem, quid Saxonicae Domui hoc noſtro tempore futurum fuerit, arcano Prouidentiae luſu deſcripſiſſe autumant.

Ex quo enim Sereniſſimus Dux et Elector Saxoniae, FRIDRICVS AVGVSTVS, regia Polonorum ſceptra gerit, vtriusque populi inſignia, *Aquilam Polonicam* cum *Ruta Saxonica* feliciter coniunxit. Porro quum Filius Eius, *Dux, Fridricus Auguſtus*, cum *Maria Ioſepha*, Ioſephi Imperatoris Filia, matrimonium contraheret, *Aquila Imperii in ſcuto Saxonico* id praenotare poterat. Ac fortaſſe nunc, poſtquam inuictiſſimus Imperator CAROLVS VI. huic Heroi inclyto

aureum

aureum vellus obtulit, torques, Ordinis ſymbolum, inſignia Saxoniae circumfundet. Quid reſtat? niſi vt ſe prodant *duo Leopardi*, quos Aquila biceps pennis ſuis tegit, vnguibusque complectitur.

Sed fingere praeſagia impium, temere admittere ſuperſtitioſum eſt.

Quam ob cauſſam alii figuras illas fatidicis annumerare imaginibus religioni habent, qui potius celebritatem Domus Saxonicae, qua floruit Ea, quum A. cIↄ ccccxcvii. vrbem noſtram in montibus hiſce conderet, ſignificari cenſent.

Vixit tum *Albertus*, Dux Saxoniae, Erneſti Electoris Frater, cui propter excellentem fortitudinem ac militarem peritiam, et quod Saxonum copias duceret, Fridricus III. Romanorum Imperator *Aquilam*, ſeu vexillum *Imperii*, in bello ad Noveſium A. cIↄ cccclxxv. detulit.* Idem, quod Belgas *auſpicio Caeſaris* debellauit, in compenſationem ſumtuum praemiumque virtutis, a Maximiliano I. *Friſiam*, cuius inſigne *duo aurei Leopardi* ſunt, accepit, et aureo vellere donatus eſt.** Quo fit, vt Aquilam bicipitem duosque Leopardos vna cum aureo vellere in clypeo Saxonico illa tempeſtate locum habuiſſe nequaquam miremur.

* Europäiſcher Herold P. I. p. 252.

** Matth. Dreſſerus in Iſagoge hiſtorica p. m. 972.

remur. Acceſſit ſub *Georgio*, Alberti Filio, quum ipſe *Barbaram*, Caſimiri, *Regis Polonorum*, Filiam vxorem duceret, *** *Aquila Polonica* ſeparatim quidem, at quinquies in templo noſtro repoſita.

Sic ex hiſtoria veteri myſterium reſolvitur.

Ego vero haec mente volutans mea devotiſſime precor, vt inconcuſſum et inviolatum per aeui omnis decurſum ad extremam mundi clauſulam perſtet, quod *Aquilam Imperialem* et *Polonicam Rutae Saxonum* iam pridem alligat, fœdus.

Viuat AVGVSTVS *Poloniarum* Rex, Elector *Saxoniae*, Pater patriae, amor ac deliciae ſubditorum, cum Regia Coniuge ſua, optima pientiſſimaque Principe, ac poſt fata quondam in Filio Nepotibusque ſpiret.

Viuat etiam Dux laudatiſſimus, FRIDRICVS AVGVSTVS, virtutum, gloriae, terrarumque paternarum heres, atque ex Filiis, laetiſſimoque ipſorum incremento gaudia nunquam intermoritura capiat.

Viuat denique Celſiſſima Puerpera, haud degener tot Imperatorum proles, cui ſummum aeternumque Numen torum genialem tutum praeſtet, viresque in partu amiſſas quamprimum reſtituat.

Aſt

*** Europäiſcher Herold P. I. p. 236.

Aſt Tu,

O dulce pignus! o decus Tuae Domus!
Certumque et ingens Saxonum ſolatium!
Genitricis o ſpes magna! cui Maiorum ego
Felicitatem, annos, opes, laudes precor,
Cognoſce Matrem riſu amœno et oſculo,
Et creſce Fratre cum Tuo proſperrime!

Vos, *Conſerui dilectisſimi*, hymnum Ambroſianum proxima die Dominica in Eccleſiis veſtris cantate, ac in poſterum in precibus publicis recens nati Principis mentionem facite, DEVMque veneramini, vt pro immenſa bonitate ſua votis clementer annuat. Dab. in Montibus S. Annae, Idibus Septembr. A. cIↄ Iↄcc xxii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Aſt Tu,

O dulce pignus! o decus Tuae Domus!
Certumque et ingens Saxonum ſolatium!
Genitricis o ſpes magna! cui Maiorum ego
Felicitatem, annos, opes, laudes precor,
Cognoſce Matrem riſu amoeno et oſculo,
Et creſce Fratre cum Tuo proſperrime!

Vos, *Conſerui dilectiſſimi*, hymnum Ambroſianum proxima die Dominica in Eccleſiis veſtris cantate, ac in poſterum in precibus publicis recens nati Principis mentionem facite, DEVMque veneramini, vt pro immenſa bonitate ſua votis clementer annuat. Dab. in Montibus S. Annae, Idibus Septembr. A. cIↄ Iↄcc xxii.

Digitized by Google

Digitized by Google